

inuestigationem, & explicationem incitarentur. Neque
uero credibile est (ut iam omisis reliquis ad unum hoc
genus me conuertam) ullam uim humani ingenij tan-
tam fuisse unquam, quæ suo ipsius motu atque impetu
tam altè, & ad tam sublimia sese efferre potuerit, ad tot
stellarum uires cognoscendas, & ad tantam uarietatem
motuum in corporibus cœlestibus inuestigandam, nisi
numine quodam diuinitus, ad inquirendas res tam ar-
duas, ac tam longe remotas à communi hominum sen-
su, incitata fuissent quædam generosa & excellentia in-
genia: quo fortunante ipsorum studia ac conatus ad in-
tima naturæ penetralia peruenerint.

Præclare enim Ouidius:

Fœlices animæ, quibus hæc cognoscere primum,

Inque domos superas scandere cura fuit.

Credibile est illos, pariter uitijque, iocisque,

Altius humanis exeruisse caput.

Non Venus, & uinum sublimia pectora fregit,

Officiumque fori, militiæque labor.

Nec leuis ambitio, perfusaque gloria furo,

Magnarumque fames sollicitauit opum.

Admouere oculis distantia sidera nostris,

Ætheraque ingenio supposuere suo.

Sic suis seculis Thales Milesius, Hipparchus, Ptolemæ-
us, ac multi alij ingentes uiri, harum artium reperto-
res

sua inuenta literis, ac memoriæ posteritatis mandarunt,

& his quasi mutuis operis artes Mathematicæ & infor-

matae, & mirabili successu auctæ & excultæ sunt, dum illi

summa fide, ac diligentia sua inuenta ad posteros trans-

mittebant, & hi pari studio ac industria, à maioribus sibi

uelut